

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Contemplacio d
cum fontibus proximo et primo

Longum est nunc si de cunctis epistulis eius omnia testimonia reuoluere uoluero in quibus hoc agit et tota mente festinat, ut Hierosolimam et ad sancta loca credentibus pecuniae dirigantur, non in auaritiam, sed in refrigerium, non ad diuitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam et frigus atque inediam declinandam, hac in Iudaea usque hodie perseuerante consuetudine, non solum apud nos, sed etiam apud Hebraeos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte et partem non habent in terra nisi solum deum synagogarum et totius orbis foueantur ministeriis, ex aequalitate dumtaxat, non ut aliis refrigerium et aliis sit tribulatio, sed ut aliorum abundantia aliorum sustentet inopiam.

Hieronymus Stridonensis, *Aduersus Vigilantium*, 13 (CCSL 79C, J.-L. Feiertag ed., pp.25-6, ll.28-40).

Hec in Iudea usque hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos sed etiam apud Hebraeos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte et patrem non habent in terra nisi solum Deum

totius orbis foueantur ministeriis.

Ieronymus contra Vigilantium.

Unde Hieronymus dicit, *contra Vigilantium*:
Haec in Iudaea usque hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos sed etiam apud Hebraeos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et patrem non habent in terra nisi solum Deum,

totius orbis foueantur ministeriis.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*, 187.4 (P. Caramello ed., p.834).